



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. I. Quid, & Quotuplex sit Suspendio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

Q U Æ S T I O VI.

De Suspensione, Depositione, & Degradatione.

Agendum primo de natura, & multiplicitate Suspensionis. Secundo inquirendum, a quonam possit ferri Suspendio, & erga Quos? Tertio, Quam ob causam? Quarto, de ejus effectibus, ac violatione. Quinto, de ejusdem absolute, & cessatione. Sexto, de Depositione, & Degradatione.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Suspendio?

- I. *Suspendio est censura, per quam Clericus privatur usu officii, aut Beneficii. Abbatissa ab officio suspendi potest; ea tamen Suspendio non est censura; Nec censuram incurrit is, cui Confessarius, vel Abbatissa prohibet, ne celebret.*
- II. *Multifariam Suspendio dividitur, & subdividitur.*
- III. *Suspendus ab officio non est eadenus a Beneficio suspendus; nec e converso. Num possit Suspendus, aut excommunicatus percipere fructus Beneficii, si iis indigeat?*
- IV. *Si Beneficiarius sit suspendus, cui nam applicentur Beneficii fructus? Et num privetur jure eligendi?*
- V. *Suspendus ab ordine exercere potest actus jurisdictionis, & viceversa. Num autem Suspendus ab Ordine inferiore potest exercere actus Ordinis Superioris?*
- VI. *Suspendus ab Officio Sacramenta potest recipere; quamvis ea administrare non possit.*
- VII. *Quomodo Suspendio differat ab Excommunicatione, ab Interdicto, & ab Irregularitate?*

I. **Q**uæritur primo; Quid veniat nomine Suspensionis?
 Respondeo, Suspensionem in jure

Canonico significare cujuslibet officii, vel actionis privationem; ut constat ex *Clement. Capiens*, & ex Trident. sess. 22. cap. 10. Et juxta hanc latiore significationem etiam Abbatissæ, & Priorissæ ab officio suspendi possunt: Suspendio tamen præse dicta definitur, quod sit *Censura Ecclesiastica*, per quam Clericus privatur usu Ecclesiastica potestatis sibi convenientis, aut ratione officii, aut ratione beneficii, aut utriusque simul. Brevius definitur, quod sit *Censura*, per quam Clericus privatur usu officii, aut Beneficii. Dicitur *Censura*, ut constat, eum, cui Confessarius, aut Abbatissa, qui censuras ferre non possunt, interdixerunt, ne celebret, non esse revera Suspendum; unde nec irregularitatem incurret, si celebret; Et idem dicas de eo, cui illicitum est celebrare propter peccatum mortale, quod habet; Illorum enim suspendio, cum non sit censura, est pœnalis; suspendio vero proprie dicta, quæ est censura, non est pœnalis, sed medicinalis. Dicitur deinde, *Per quam Clericus*, ut constat, hujusmodi censuram in laicis non habere locum. *Henr. lib. 13. cap. 31.* putat, etiam Abbatissam posse incurere censuram, suspensionis ab officio; quia quamvis non sit Clericus, est tamen regularis, & quasi persona Ecclesiastica capax officii spiritualis, & cujusdam jurisdictionis, saltem ex commissione, ut docent *Sylvest.* & *Laym. lib.*

lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 3.; quatenus scilicet potest Pontifex, vel Episcopus, vel Provincialis Ordinis, sub quo vivunt, committere Abbatissæ quemdam usum jurisdictionis, Verbi gratia, dispensando Monialibus in lege jejunii. Communius tamen negant, posse Abbatissam stricte suspendi ab officio; quia talis jurisdictione ex commissione, quæ competit Abbatissis, competere etiam potest Laicis. Dicitur demum, quod per suspensionem Clericus *privatur usu officii, aut beneficii*, ut constat, suspensionem non tollere officium, aut beneficium; non tollit enim neque ordinem, neque jurisdictionem, neque jus beneficii Ecclesiastici, sed solum prohibet eorum usum, seu exercitium.

II. Queritur secundo; Quotuplex sit Suspendio?

Respondeo, dividi primo in eam, quæ est solum ab officio, aut solum a Beneficio, quæ sunt suspensiones partiales; & eam, quæ est ab utroque, quæ dicitur suspendio totalis: Etenim cum in personis Ecclesiasticis hæc duo tantum reperiantur, officium, & beneficium, suspendio debet usum vel alterutrius, vel utriusque prohibere.

Nomine autem officii, ut advertit Suar., intelligitur omnis potestas spiritualis, sive sit Ordinis, sive Jurisdictionis, sive Ecclesiasticæ administrationis. Nomine vero Beneficii intelligitur jus perpetuum ad Ecclesiasticos fructus, seu proventus ob spirituales aliquem titulum percipiendos. Quando autem absolute imponitur in jure Suspendio, intelligitur suspendio ab utroque, scilicet ab officio, & beneficio; ut docent communiter Doctores apud Suar., & Hurt. contra Felin., & Burgent., qui docent, intelligendum esse tantum de suspensione ab officio. Ratio communis sententiæ est manifesta, quia non est major

ratio de uno, quam de alio; ergo ab utroque suspendi debet; nisi ex contextu habeatur limitatio ad unum tantum. Si tamen imponatur in jure Suspendio sententiæ ferendæ, relinquatur arbitrio Judicis, num debeat suspendere ab alterutro, an ab utroque, ut iidem Doctores docent.

Subdividitur deinde Suspendio partialis in plures alias partiales pro varietate officiorum, & beneficiorum; nam aliquando Episcopus in jure suspenditur tantum a consecratione alterius Episcopi, aliquando a collatione presbyteratus, aliquando a collatione solius primæ tonsuræ, aliquando simpliciter ab Ordine. Eodem modo alii Clerici aliquando suspenduntur tantum ab officio Sacerdotali simpliciter, aliquando a sola celebratione Missæ, vel a munere audiendi confessiones &c. Idem dicas de suspensione a jurisdictione; necnon de suspensione a beneficio. Interdum enim fertur suspendio tantum a quotidianis distributionibus, vel a dimidia parte fructuum; idque vel ad tempus, vel in perpetuum.

III. Infertur ex dictis primo, Suspendium ab officio non esse eatenus suspendium a beneficio; etenim si horas canonicas recitet, & per Vicarium satisfaciatur muneribus sui officii, potest licite fructus beneficii percipere: Quamvis, ut notat Sanch., si suspendio ab officio ob delictum grave perpetuo duratura sit, privari debet Beneficiatus suo beneficio. Eodem modo suspendus a beneficio non est eatenus ab officio suspendus: Quare hic privatur tantum perceptione fructuum, & administratione temporali sui beneficii, ac proinde constituendus est ei Æconomus; nam si ille se ingerat interdictæ administrationi beneficii, ipso jure eo privatur, ex cap. *Cupientes, de election. in 6.*, ut communiter docent cum Sayr. & Laym.

ym. Si tamen suspensus a beneficio, necnon excommunicatus sit in indigentia, nec per ipsum stet, quominus liberetur a censura, potest percipere fructus beneficii, qui ad se, & suos alendos necessarii sunt, ex Navar., Con., & aliis apud Laym. hic cap. 7. Imo potest omnes fructus sui beneficii percipere, si non sint copiosissimi, sed correspondentes labori, quem serviendo beneficio impendit; quia habent rationem stipendii, non fructus; ut docet Avil. apud Laym.

IV. Dubium est; Cuinam applicandi sint fructus beneficii, quando Beneficiatus est suspensus?

Respondeo cum Bonac. hic punct. 2., applicandos esse in utilitatem Ecclesiae; distributiones vero suspensi dandas esse aliis Clericis, qui Choro intersunt, ex cap. *Si quis* 27., *quest.* 4. Idem dicendum ex Suar. de fructibus pensionis collatae titulo Clericali, ac de fructibus beneficii; quia talis pensio nihil aliud est, quam jus percipiendi fructus ex bonis beneficii: Quicquid alii sentiant in contrarium.

Notandum tamen cum eodem Bonac., Suar. Con., quod suspensus a beneficio non privetur distributionibus, quae non dantur intuitu beneficii, ut sunt Anniversaria, vel stipendia missarum.

Dubium est secundo; An suspensus a beneficio amittat jus conferendi, aut eligendi, quod ipsi ratione beneficii competit?

Respondeo cum Suar. disp. 27., Con., Laym. contra Sayr., Navar., Henr., probabilius esse, quod non amittat; quia collatio, & electio non numerantur inter fructus beneficii, quorum perceptio suspensio interdicitur, sed potius sunt actus officii, & quasi jurisdictionis competentis Beneficiato ratione beneficii: Adde, quod quando in jure aliquis suspenditur a

beneficio, & a jure eligendi, id ipsum exprimitur, ut in cap. *Cum in cunctis ultim.*, de election. ergo nisi exprimitur in Canone, tale jus non amittitur.

V. Infertur ulterius, quod suspensus ab Ordine possit exercere omnes actus jurisdictionis, qui actuale titulum Ordinis non requirunt: Exempli gratia, potest Episcopus suspensus ab Ordine delegare alteri potestatem absolvendi; quamvis ipse audire confessiones, seu absolvere non possit. Et e converso suspensus a jurisdictione potest exercere actus ordinis, & officii sui spiritualis, qui jurisdictionem non requirunt; Verbi gratia, potest sacrificare, & officium custodis, & administratoris Ecclesiastici exercere; Non potest tamen absolvere; cum absolutio jurisdictionem requirat: Et propter eandem rationem non potest Parochus ita suspensus ministrare Orbibus suis Sacramenta tanquam Pastor ordinarius; nec Episcopus subditis suis Ordines conferre, aut alteri licentiam dare conferendi Ordines.

Dubium hic est; An suspensus ab Ordine inferiore (puta Episcopus ab Ordine Sacerdotali) possit exercere actus Ordinis superioris, puta Episcopalis, qui absque exercitio Ordinis Sacerdotalis qua talis exerceri possunt?

Respondeo, negare plerosque apud Suar. disp. 64. sect. 4.; quia cui non licet, quod minus, est non debet licere, quod est majus, *Arg. Leg. Legatorum §. ultimo ff. de Interdictis*. Verum idem Suar., Con. Sa., & alii apud Laym. probabilius docent, regulam istam, quod non liceat majus ei, cui non licet minus, intelligendam esse, quando majus, & minus inter se connectuntur. Quare Sacerdos suspensus ab officio Diaconi non potest celebrare, quia sic euangelium legeret, quod est proprium Diaconi; Potest

est tamen confessiones audire, solemniter baptizare, &c., quia hæc ab officio Diaconi separantur, & sunt in diverso genere: Quamvis autem ea exercere non deceat, si tamen exerceat, non fit irregularis. Addit Laym., posse aliquando prohiberi quod minus est, non prohibito quod est majus; præsertim si in usu minoris, non majoris sit commissum aliquod delictum; in quo casu licitum est exercere quod majus est, non quod minus: Exempli gratia, Si Episcopus suspendatur a collatione Ordinum minorum, licite confert majores, ex Suar., Avil., Con., & aliis.

VI. Infertur tertio, suspensum ab officio posse quidem Sacramenta recipere, non tamen administrare; quia solum administrando Sacramenta exercet officium, & jurisdictionem contra prohibitionem, ut notat Bonac. num. 15.

Dividitur demum Suspendio in eam, quæ est a jure, & quæ ab homine. Rursus in Temporalem, & Perpetuam; Illa est cum limitatione temporis, verbi gratia per triennium, donec reus satisfaciat; hæc vero sine temporis limitatione. Differt tamen a Depositione & Degradatione, quia per has inducitur universalis privatio officii, & beneficii sine spe reconciliationis, & cum certa solemnitate, non vero per suspensionem, ut communiter Doctores.

VII. Ex dictis patet, quomodo Suspendio etiam ab Irregularitate, necnon aliis censuris differat; Nam Irregularitas privat susceptione Ordinis, ejusque usu; Suspendio vero privat tantum usu non solum Ordinis, sed etiam beneficii, & cujusvis Ecclesiasticæ potestatis. Differt præterea ab Excommunicatione minore, quia hæc privat solum perceptione passiva Sacramentorum; Suspendio vero privat perceptione activa pertinentem

Pars VIII.

ad Ordines, aliosque habet effectus: Differt etiam ab Excommunicatione majore; tum quia hæc plures alios habet effectus præter effectus suspensionis; tum etiam, quia Excommunicatio major privat actionibus, quatenus sunt quædam communicatio cum fidelibus; at Suspendio privat iis, quatenus sunt quædam functio officii, vel beneficii. Quibus adde, Episcopus non posse ferre excommunicationem dimidiate, seu relate ad hoc tantum, non illos effectus. Verbi gratia privando excommunicatum Ecclesiæ suffragiis tantum, & non communicatione fidelium; quia effectus excommunicationis sunt a jure determinati; unde non possunt coarctari ab Episcopo, cum non possit hic dispensare in jure communi: Contra vero potest Episcopus suspendere dimidiate, videlicet ab officio, non a beneficio; ut constat ex usu, & juris permissione.

Ex quo sequitur, quod possit Episcopus suspendere effectus aliquos suspensionis, non vero excommunicationis; ut usu etiam receptum est.

Demum differt Suspendio ab Interdicto, quia Suspendio non inducit privationem tot rerum, sicuti Interdictum; hoc enim privat participatione omnium divinatorum officiorum; illa vero privat tantum usu potestatis Ecclesiasticæ.

ARTICULUS II.

A quo ferri possit Suspendio, & Erga quos?

- I. Qui potest excommunicare, potest etiam ferre Suspendionem, & e converso. At non eatenus juxta usum Ecclesiæ ferre poterit Interdictum.*
- II. Clerici dumtaxat possunt hac censura irretiri. Suspendio generaliter lata contra Clericos non comprehendit*

S

dit